



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 49. Acres simultates ob pacem Viennensem inter Principes exortæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. „git ac præcipit, ne in hac diuturna,
 A. C. 1727. „& tot sæculis continuata Sacrum Via-
 „ticum ad ægrotos deferendi possessione
 „ac exercitio Catholicos turbare, nec
 „eos sine omni jure, ratione & funda-
 „mento calumniari præsumat, perinde
 „acsi novitatem Westphalicæ paci con-
 „trariam invehere, novasque turbas
 „concitare moliti fuissent: Ab ejusmodi
 „ergo vexatione Senatus desistat, nul-
 „lumque impedimentum Catholicis op-
 „ponat, & intra bimestre suæ obe-
 „dientiæ testimonium Sacræ Cæsareæ
 „Majestati reddat, salvo tamen jure
 „suas deferendi querelas, si quod ju-
 „stum Religionis gravamen contra Wor-
 „matiensem Clerum se habere existi-
 „maverit. „

§. XLIX.

Acres similtates ob pacem Viennensem inter Principes exortæ.

Vid. supra hoc torn. pag. 177. Salmoni Ab-regé de l'Hist. d'Angl. t. 2. pag. 261. Postquam pax Viennensis, ut supra meminimus, sine arbitro, & reluctante Pontifice conclusa erat, totum Europæ systema plurimum turbari videbatur; neminem autem hic Tractatus Cæsarem inter & Hispaniæ Regem initus ægrius habebat, quam Gregorium I. Angliæ Regem, qui suum honorem graviter lædi, bellum in Anglos

glos a Cæsare & Hispanis parari, & Sæc. XVIII.
Prætendentem ad Regni solium evehi, A. C. 1727.
 verebatur, ac propterea adversus ut-
 rumque Principem fœdera conquirere,
 & Ostendana commercia evertere sta-
 tuit: Haud difficiles voto suo exper-
 tus est Franciæ & Borussiæ Reges,
 quibuscum Hannoveranæ, ubi tum
 agebat, armorum & amicitiae societa-
 tem iniit, quod propterea *fœdus Han-*
noveranum appellari consuevit octo ar-
 ticularis comprehensum: Hoc intellecto
 Pars utraque certabat, plures alteri
 socios præripere, suorumque fœdato-
 rum numerum & vires augere: Ac-
 cesserat Viennensi tractatui præter Sta-
 tus Imperii plerosque Moscoviæ Im-
 perator, & Hannoverano Hollandi,
 Sueci, & Dani: Ita sub specioso pacis
 publicæque tranquillitatis conservan-
 dæ obtentu ubique bellum parabatur,
 ac universus Orbis in armis fore cre-
 debatur: Ipse etiam Angliæ Rex die
 28. Januarii habita ad Regni Status
 oratione illos gravissimis verbis mone-
 bat, ut imminentibus Regni necessita-
 tibus prospicerent; legiones militum
 supplementis redintegrarent, & ad
 bellum necessaria erogarent subsidia,
 eoquod Carolus VI. Imperator & Hi-
 spaniæ Rex inter se contra Anglos tra-
 ctatum, ut vocant, *offensivum* inierint,
 cujus

Sæc. XVIII. cujus præcipua essent capita, ut ir-
 A. C. 1727. ruptione vel in Angliam vel Scotiam
 facta Catholicus *Prætendens* in Angli-
 cum solium intruderetur, & Gibaltara
 Hispanis restitueretur. Hæc Regis
 oratio tantopere Cæsarem offendit, ut
 Londini per L. B. de Palm Residentem
 suum has Regi literas tradi juberet.

Serenissime ac potentissime Rex.

„Quam primum ad aures *sue Ma-*
jestatis Cæsareæ Regio-Catholicæ, Do-
 „mini mei Clementissimi, *allocutio Ma-*
jestatis Vestræ ad Regni Magnæ Britan-
 „nicæ Status in Parlamento hodie con-
 „gregatos habita pervenit, mirari
 „supra modum subiit, qua ratione *Ma-*
 „jestas Vestra induci se passa sit, ut non-
 „nulla in ista *allocutione* in sequiorem
 „sensum detorta, alia a mente *sue Ma-*
 „jestatis Cæsareæ & Catholicæ quam lon-
 „gissime aliena: alia denique (quæ al-
 „tius feriunt) omni etiam fundamento
 „destituta inclytæ Nationi velut certa,
 „ac indubitata *inaudito hactenus more e*
 „solio Regio proponeret. Etenim Pa-
 „cem cum *Serenissimo Hispaniarum Rege*
 „*Viennæ* initam quod attinet, quis non
 „obstupescat, eam ipsam Pacem Qua-
 „druplici *fæderi Londinensi, & aliis cum*
 „*Majestate Vestra* initis ceu unicæ ac soli-
 „dissi-

„diffimæ Basi innixam, & pro qua obti-
 „nenda ipsamet *Majestas Vestra* una
 „cum Belli Sociis tam cruentum, tam-
 „que diuturnum, neque inglorium bel-
 „lum gessit, ad quam ipsamet allabo-
 „ravit, a se nunc pro justa querimo-
 „niæ caussa obtendi, & pro ansa eo-
 „rum, quæ hucusque cum summo *Im-*
 „*peratoris & Imperii, & tranquillitatis Pu-*
 „*blicæ* detrimento ubique terrarum a
 „*Majestatis Vestræ* Ministris gesta sunt,
 „assumi, *Magnæque Britannicæ* Populo
 „pro violatione fæderum tanta cum
 „*Cæsaris Hispaniarumque Regis* invidia
 „ab Eadem proponi posse?

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

„Post *Pacem Viennensem* incusatur
 „alter *Commerciæ Tractatus* cum *Hispa-*
 „*niæ* factus, atque ad promovenda ut-
 „riusque Subditorum licita commoda
 „institutus, qui *juri gentium*, atque a-
 „micarum Nationum moribus confor-
 „mis, *gentique Britannicæ*, sive situs Pro-
 „vinciarum, sive natura ipsa Com-
 „merciæ spectetur, ex omni parte in-
 „nocuus cum sit, neque Pactis cum
 „*Magna Britannia* initis vel in minimo
 „adversetur; sanecaussa, ob quam Na-
 „tioni, *Cæsari* alias amicissimæ (cujus
 „præteritorum egregie gestorum, at-
 „que auxiliorum memoriam nulla un-
 „quam ætas ex *Augustissimi Cæsaris*
 „corde evellet) *Tractatus* iste gravis
 „aut

Sæc. XVIII. „aut *Offensivus* esse possit, nulla super
 A. C. 1727. „est, si modo is sincero & ab omni
 „concitandæ Nationis studio depurato
 „animo expendatur. „

„Altera classis ea complectens, quæ
 „nullo plane fundamento nituntur,
 „concernit præcipue imaginarium il-
 „lud *ædus*, quod in Allocutione *Offen-*
 „*sivum* nuncupatum, & contra *Majesta-*
 „*tem Vestram Imperatorem* inter *Regem-*
 „*que Hispaniarum* contractum supponi-
 „tur. Id vero quam *vacuum* & *inane* sit,
 „ex eo convincitur, quod assertum
 „ejusmodi *ædus Offensivum* non solum
 „per oblatum nuper a *sua Majestate Cæ-*
 „*sarea & Catholica* *Pactum de se mutuo*
 „*non Offendendo* : sed & vel per idipsum
 „*Amiciticæ ædus* cum corona Hispanica
 „contractum, *Majestatique Vestræ*, quan-
 „do oportebat, communicatum ex
 „integro sane evertatur, e cujus ver-
 „bis num vel umbra, aut minimum
 „foederis offensivi specimen erui possit,
 „totius Orbis judicio submittitur. „

„Altera hujus positionis pars ad-
 „struit *Articulos Secretos*, in favorem
 „*Prætendentis* confectos, quorum certa
 „eque fida indicia sibi adesse, asserit
 „*Majestas Vestra*, quibus conventum
 „esset, eundem *Prætendentem ad so-*
 „*lium Magnæ Britannicæ* evehere. Qua
 „vero mente, qua de causa & consilio
 „ista

„ista falsissimis rumoribus innixa Po-
 „pulo Britannico exposita fuerint, facile

Sæc. XVIII.
 A. C. 1727.

„a quovis e vulgo nedum a sua Sacra Cæ-
 „sarea Catholica Majestate intelligitur.
 „Cum vero tantorum Principum fides,
 „inviolabilis Dignitas, & Honor ferre
 „nequeat, ejusmodi nulla veritate
 „suffulta asserta, universo Regno & Orbi
 „e solio Regio exponi? Eadem Sacra
 „Cæsarea Catholica Majestas, ut accep-
 „tam inde gravissimam offensam Maje-
 „stati Vestræ & Magnæ Britannicæ Regno
 „hisce declarem, mihi districte injun-
 „xit, sub verbo Cæsareo asseverando,
 „nullum Articulum secretum, nullamque
 „conventionem existere, quæ vel mini-
 „mum quid ejusmodi contineat, aut com-
 „probare possit. „

„Quo vero ea, quæ ex hoc ad No-
 „stra usque tempora inaudito facto
 „clam intenduntur, eo magis eluces-
 „cant, animadvertitur, consulto ea
 „exponi eo tempore, quo Parisiis de
 „componendis, nullo suæ Majestatis Cæ-
 „sareæ & Catholicæ facto subortis de-
 „sidiis consultatur, ex quo altefactæ
 „Majestatis Cæsareæ ad Pacem perpe-
 „tuo proclivis animus, atque in obser-
 „vandis fæderibus religiosissimus satis
 „comprobatur. „

„Quæ subinde hic de Gibraltar ad-
 „dita sinistra interpretatione adducun-
 „tur,

Sæc. XVIII, „tur, ad ejus *obsidionem* suscipiendam
 A. C. 1727. „hostilia in Indiis, invisis Tractatibus
 „ac alibi, adversus *Regem Hispaniarum*
 „perpetrata notoria facta atque aggressio-
 „nes justissimam causam dedisse vi-
 „dentur. Quæ autem *sucæ Majestatis Cæ-*
 „*sareæ Catholicæ* hoc super Articulo
 „Mens & Conventio fuerit, ex supra-
 „dicto communicato Tractatu despi-
 „cere licet. „

„Quæ demum de *Ostendana* navi-
 „gatione adseruntur, *Regem Catholicum*
 „postquam justas subinde hujus Insti-
 „tuti rationes agnovit, ad eam foven-
 „dam nullo profus Pacto obstructum
 „pietas induxit neve innocuum istud
 „tuendi *Belgici Repaguli* (vulgo *Barriere*)
 „subsidium tranquillitati, mutuaque
 „cum Vicinis amicitia obicem ponat,
 „varia non *Hagæ Comitum* duntaxat ac
 „aliis in locis compositionis media
 „proposita, verum etiam postremo *Pa-*
 „*risiis* declarata fuerunt. „

„Quæ cum ita sint, id sane offensa
 „*Veritas, Honor, & dignitas Sacræ Cæ-*
 „*sareæ Catholicæ Majestatis* postulat, ut
 „ista *Majestati Vestræ, Regno Magnæ*
 „*Britanniæ* atque universo Orbi palam
 „exponerentur, quæ itidem pro illata
 „sibi per tot imputationes gravissima
 „injuria debitam reparationem omni
 „jure exposcit. „

Hac

Hac declaratione Georgius Rex Sæc. XVIII.
A. C. 1727.
sibi dissidia inter varios Europæ Prin-
cipes imputari ratus, die vigesima
quarta Maij Carolo Baroni de Palm
Cæsareo Residenti significari iussit, ut
infra octiduum Londino excederet: Sub
idem quoque tempus vicissim Le Heup
Angliæ Legatus Ratisbonæ in Imperii
comitiis scriptum Regis sui nomine
distribuit hujus tenoris:

„Serenissimus ac potentissimus *Rex*
„*Magnæ Britannicæ*, Dominus meus om-
„nium Clementissimus, mihi, eadem
„*Sacrae Regiæ Majestatis* ad præsentia Co-
„mitia *Ministro* infra scripto in manda-
„tis dedit, ut nomine suo præsentem
„hunc *Libellum Memorialem* Excellentiss
„ac *Dominationibus* vestris exhibeam,
„quo vobis exponam: Quod quamvis
„R. S. M. Justitiam consiliorum suorum,
„conatumque pro *totius Europæ*, &
„apprime pro *tranquillitate Corporis Ger-*
„*manici* satis omnibus jamdudum ma-
„nifestam ac notam sperarit, & sibi
„persuasum habuerit, nihilominus tamen
„sibi delatum est, quosdam esse, qui
„ne specie quidem veritatis consilia
„sua integerrima conatusque suos ju-
„stissimos suspectos infectosque reddere
„strenue conantur.,

„Quamobrem Regiæ S. M. visum
„est per præsentem hunc *Libellum Me-*
Hist. Eccles. Tom. LXXII. Ss „110-

Sæc. XVIII. „*morialem* Consiliorum suorum Justitiam
 A. C. 1727. „de integro repetere, atque funditus

„ac *solemniter* propalare, ut *suspiciones*
 „istæ prorsus *amoveantur*, quas inaudita
 „ratiocinandi distorsione struere qui-
 „dam conati sunt, ex *bellicis* istis appa-
 „ratibus, qui tam in illis, quam in alio-
 „rum Principum *scæderatorum* ditionibus
 „tam pro salutè publica totius Europæ,
 „quam pro privata istorum Principum
 „Incolumitate instruuntur. Mera enim
 „*prudentiæ ratio* est, providique omnis
 „*Principis vigilantia*, ut eo tempore
 „cautius ac propensius *Securitati* suæ
 „provideat, cum undiquaque ingruere
 „tempestates videat, in sua forsan re-
 „gna, strenue præcaveat, grassatura.

„Declarat igitur R. S. M. per præ-
 „sentem hunc Libellum, ut sæpe sæ-
 „pius data occasione jamdudum decla-
 „ravit, *scædera* ista, quæ nuper cum
 „*aliis Protestantibus* inivit, mere defen-
 „siva esse, atque unice ad conserva-
 „dam publicam totius Europæ Pacem
 „sancita fuisse. „

„Verum est quidem, in uno horum
 „*scæderum regiam S. M. Quinti & Sexti*
 „*Pacis Monasteriensis Articuli* tutelam in
 „*Belgii scæderatorum Ordinum* gratiam ac
 „commodum in se recepisse, at omni-
 „bus proculdubio satis notum est, hosce
 „*Articulos* neque directe, neque in-
 „directe

„directe *Corpus Germanicum* respicere, Sæc. XVIII.
 „ideoque a privatis illius rationibus A. C. 1727.
 „alienos. *Sacra igitur sua Majestas Re-*
 „gia sibi persuasum habet, *Principes,*
 „ac *Status Imperii*, nullo modo semet-
 „ipsum in controversia, illis atque illa-
 „rum rationibus prorsus *aliena*, atque
 „*extranea* immisturos fore; illisque de-
 „clarare vult, quemadmodum per *Mi-*
 „nistrum suum infra scriptum hodie de-
 „clarat, molimen aliquod *contra Ger-*
 „manicæ *Pacem ac tranquillitatem* tam lon-
 „ge, a consiliis suis abesse, quod stre-
 „nue operam navabit, ne *in his tempe-*
 „statibus atque angustiis temporum detri-
 „mentum aliquod *Germanicæ ditiones* ca-
 „pian, ac provide pro viribus se con-
 „sulturum fore, ne *Jura, Privilegia &*
 „*Tranquillitas Corporis Germanici* in hac
 „tam periculosa rerum commotione,
 „& discrimine simul involvantur.,

„Quam *declarationem Regii & invio-*
 „labilis promissi loco haberi atque exi-
 „stimari vult, a nota Corporis Germa-
 „nici æquitate sperans, fore, ut pari
 „benevolentia atque integritate justissi-
 „mis hisce *Regiæ suæ Majestatis consiliis*
 „respondeant.,

„Cumque ad Regem, Dominum
 „meum nuntiatum sit, quosdam esse,
 „qui publice asserere ausi sunt, *Legat-*
 „um ejus in porta *Ottomannica Turcas*

Sæc. XVIII. „ambiisse ac sollicitasse, ad Consilia ca-
 A. C. 1727. „pienda *Paci Imperii Germanici* adversa,
 „*Regia sua Majestas* expresse ac sollemni-
 „ter per hunc *Libellum declarat*, tales ru-
 „mores *Calumniæ* loco habendos esse,
 „*Legatumque suum Constantinopolitanum*
 „nequæ id fecisse, neque id ut faciat, in
 „Mandatis accepisse. „

Perlecto hoc Legati scripto non mo-
 do Electorum sed & Principum Orato-
 res unanimi consensu decrevere, ad re-
 parandam injuriam Sacræ Majestati
 irrogatam, læsamque reverentiam Ei-
 dem debitam, & ad præcavendos ejus-
 modi insultus Britannico Legato suum
 scriptum esse reddendum nec illud ullo
 pacto ad acta Imperii reponendum: ipse
 vero Cæsar die decima Aprilis præfato
 Legato, ut intra quindecim dies ex
 Imperii finibus excederet, significari
 jussit, transmissio Ratisbonam Cæsareo
 hoc decreto:

„Cum *Sacra Cæsarea Majestas* præ-
 „ter solitam sibi *Cæsaream longanimita-*
 „tem ac mansuetudinem, innatique animi
 „Clementiam atque notoriam, qua in in-
 „clytam nationem Britannicam constan-
 „ter fertur propensionem, eo permota
 „fuerit, ut tam vigore *summæ Majestatis*
 „Imperialis, quam pro aperto integer-
 „rimæ veritatis testimonio, ipsum *Le-*
 „Heup pro Ministro Regio Britannico in
 Comi-

Comitiis & conspectu Imperii Sacri ejus- Sæc. XVIII.
 que Limitibus diutius ferre, agnoscere nec A. C. 1727.
 tollerare possit, ideoque & quantocius

„ex urbe Ratisbonnensi & finibus Imperii
 „eliminandus veniat. Ea de caussa

„Sacra Cæsarea Majestas pro sua atque

„Sacri Romani Imperii Majestate ac de-

„core decrevit & mandavit, ut ipse le

„Heup adhuc Ratisbonnæ aut alibi in

„Cæsaris ac Romani Imperii terris & Pro-

„vinciis existens intra duarum dierum

„spatium ab insinuatione hujus com-

„putandum ex Urbe Ratisbonna, aut

„ullo, ubi moratur loco, intra quinde-

„cim vero dies ex Sacræ Cæsareæ Ma-

„jestatis, Imperiique Romani Germanici

„finibus, beneficio præsentis Salvi Con-

„ductus eidem a Sacra Cæsarea Majestate

„perbenigne concessi, via recta & Re-

„gia protinus discedat.

„Noverit itaque sæpe dictus le Heup

„huic Mandato Cæsareo morem decen-

„ter & tempestive gerere, noveritque

„secus faciendo se data Sacræ Cæsareæ

„Majestatis Sacrique Romani Imperii, pro-

„tectione & securitate omnino exutum

„esse. Signatum sub Alt. Sacræ Cæ-

„sareæ Majestatis Sigillo secreto. Viennæ

„decima Aprilis, Anno millesimo sep-

„tingentesimo vigesimo septimo.,,

Præcipua Cæsareæ hujus indigna-
 tionis caussa credebatur esse calumnia,

Sæc. XVIII. qua hic Legatus Cæsarem, aliosque
A. C. 1727. Principes insimulabat, ac si Turcarum
 opem contra Britannicæ Regem & sibi
 fædere conjunctos implorassent, quam
 etiam imputationem falsam a suo Rege
 amoliri jam antea die 27. Febr. nite-
 batur Chauvignus Comes Regis Chri-
 stianissimi Legatus, Ratisbonæ in Im-
 perii Comitibus tradito hoc scripto.

„Serenissimus ac potentissimus Rex
 „Christianissimus Dominus meus omnium
 „Clementissimus mihi ejusdem Sacræ
 „Regiæ Majestatis infra scripto ad præ-
 „sentia Comitibus generalia ministro in
 „Mandatis dedit, ut Excellentiss & Do-
 „minationibus Vestris nomine suo præsen-
 „tem Libellum Memorialem exhibeam,
 „quo exponam, quamvis Regia sua Ma-
 „jestas credat, Justitiam consiliorum
 „suorum pro conservatione pacis, & im-
 „primis pro tranquillitate Corporis Ger-
 „manici satis omnibus notam esse, ni-
 „hilominus tamen ad illius aures per-
 „venisse, dari, qui ejus consilia suspecta
 „reddere studeant, quare Regiæ suæ
 „Majestati visum est, consilia sua peni-
 „tus declarare ac solemniter, ne illa ab
 „ullo ignorentur, atque & rumores isti
 „dissipentur, quos quidam excitare vo-
 „luerunt, de apparatus bellicis, qui in
 „ejus regno non secus ac in pluribus
 „Principum fæderatorum fiant ditio-
 „nibus

„nibus. Quilibet novit rationes, qui- Sæc. XVIII.
 „bus *Sacra Regia Majestas ad Tractatus* A. C. 1727.
 „cum aliis Principibus ineundos impulsa
 „fuit, & hæc naturalis prudentiæ ratio
 „est, qua quilibet Princeps de securi-
 „tate suarum terrarum sollicitus esse de-
 „bet, quando videt intendi alibi nubila,
 „unde turbandæ earum quietis tranquil-
 „litasque periculum metuendum est. Sed
 „ea nunc declarat, quemadmodum id
 „jam data occasione sæpius factum est,
 „Tractatus hos mere defensivos esse &
 „unice conservationem Pacis Europæ in-
 „dendere. Verum est in uno horum
 „Tractatum Sacram Regiam Majestatem
 „5. & 6. Articulum Pacis Monasteriensis
 „tuendum in favorem Belgii fœderati
 „Ordinum in se recepisse, sed inter
 „omnes constat, defensionem horum
 „Articulorum neque directe neque in-
 „directe Corpus Germanicum respicere,
 „atque adeo a privatis rationibus pro-
 „sus alienum esse. Sacra igitur sua Re-
 „gia Majestas sibi persuasum habet, Prin-
 „cipes & Status Imperii nullam conten-
 „tionis ejusdem partem, quæ ad illos
 „plane non pertinet, capturos esse,
 „illisque declarare voluit, quemadmo-
 „dum id per Ministrum suum infra scri-
 „ptum hodie declarat, minime se tur-
 „bandi terras Germaniæ agitare consi-
 „lia, sed potius quidquid contingat,

Sæc. XVIII. „omnes suas curas attente ac provide
 A. C. 1727. „eo collaturam esse, ne Germaniæ
 „ditiones pariter ac Jura, privilegia &
 „tranquillitas Membrorum Corporis Ger-
 „manici periclitentur, quam ipsam de-
 „clarationem regii & inviolabilis promissi
 „loco haberi vult, a Corporis Germa-
 „nici æquitate sperans, fore, ut pa-
 „ribus consiliis ac dispositionibus pu-
 „ritati & Justitiæ Consiliorum Sacræ
 „sue Regiæ Majestatis illud respondeat.
 „Cumque Rex Christianissimus iperce-
 „perit esse, qui rumores spargunt, Le-
 „gatum ejus in Porta Ottomanica Turcas
 „sollicitare, ut consilia capiant, quæ
 „Imperii quieti adversentur, Sacra ejus
 „Majestas hoc ipso expresse ac solemniter
 „ter declarat, calumniæ loco id haben-
 „dum esse, directe, neque indirecte, id
 „tentare se, neque ut id faciat, in
 „mandatis accepisse. Declarat tandem
 „se, *Traçtatus Pacis Westphalicæ*, in qui-
 „bus fidem suam interposuerit, sancte
 „observaturum semperque paratum fore,
 „ad fidem hujus rei, speciatim omni-
 „bus, & singulis faciendam, qui illam
 „desideraverint, sive privatas, sive pu-
 „blicas totius Corporis Germanici ra-
 „tiones sibi propositas habeant. „

Demum ad tollendas animorum
 dissensiones, suspiciones, & jurgia,
 ac præcipue ad præcavendum, quod
 time-

tinebatur universale bellum non modo in Gallijs Congressus fuerat indictus; cum vero motis subinde novis difficultatibus pacis negotium parum proficeret, interim hoc anno Parisiis duodecim, ut vocant, præliminares condebantur articuli, quibus Cæsarei, Gallici, Anglici & Hollandi Oratores nomine suorum Principum die trigesima prima Maij subscripsere. Erant autem sequentes:

Sæc. XVIII.
A. C. 1727.

I. Cum Cæsari compertum sit, Ostendatum commercium apud vicinas Nationes æmulationem & turbas excitare, quietis in Europa conservandæ gratia consentit, ut ad septem annos illud suspendatur.

II. Omnia, quæ contrahentes vi pacis Ultrajectensis, Badensis & quadruplicis fæderis, aut aliorum ante Annum 1725. initorum contractuum (qui Cæsarem aut Holandos non concernunt) tanquam propria possederunt, iis salva maneant. Si quæ autem mutata, aut necdum executioni fuissent data, in proximo generali congressu erunt ordinanda.

III. Galli & Angli, Batavi fruantur omnibus privilegijs & libertate Commerciorum in Hispania & Indiis, quibus

Sæc. XVII. bus vigore Tractatum ante Annum
A. C. 1727. 1725. sunt gavisæ.

IV. In Borealibus Regnis & Provinciis Pax & quies a fæderatis eorum procuretur.

V. Cesset omnis hostilitas. *Naves Ostendancæ*, in Indias jam dimissæ, nulla molestia afficiantur, & abreptæ cum omnibus mercibus restituantur. Similiter classes Hispanæ secure eant & redeant. Angli ab obsidione Portus Belli, aliorumque portuum Hispanorum infestatione absistant, & Hostierus copias in Angliam reducat.

VI. Hæc cessatio hostilitatis duret, quamdiu suspensio navigationis *Ostendancæ*, ut interea Jura possint examinari, & Pax universalis constitui.

VII. Damna, quæ interea inferentur, sunt reparanda.

VIII. Intra 4. menses a subscriptione horum articulorum initium detur *Congressui Aquisgranensi*, in quo singulorum Jura discutiantur, & Pax universalis componatur.

IX. Singuli legati comitatum duobus Nobilibus, duobus ephebis, & sex famulis circumscribant.

X. Ut evitentur molestiæ, circa prioritatem Loci oriri solitæ, nulla cæremonialia observentur. Protestari tamen licitum esto.

XI. Ju-

XI. Jubeantur legati negotium Sæc. XVIII.
 maturare. A. C. 1727.

XII. Intra duos menses articuli isti
 ratificentur.

§. L.

*Controversa electio cujusdam Cano-
 nici Coloniensis.*

Hoc item anno levis dissensio exorta
 est inter Colonienses | Canonicos
 Cathedrales & Presbyteriales; Cele-
 berrimum hoc Capitulum constat vi-
 ginti quatuor Canonicis, ex quibus
 sexdecim non nisi ex Imperii Principum
 vel Comitum gente orti assumi possunt,
 ceteri vero octo, quos *Canonicos Pres-
 byteros* vocant, Nobilitatis gradu infe-
 riores quidem sunt, jure tamen suffra-
 gii in electionibus gaudent. Ex horum
 numero jam Anni 1723. die trigesima
 Octobris Wernerus a Veyder Metropo-
 litanæ Ecclesiæ Suffraganeus & Ec-
 clesiæ Cathedralis Canonicus obierat.
 Indicebatur novi Canonici electio jam-
 jam ad diem tertiam Novembris ejus-
 dem anni; eo quod rumor esset, Suf-
 fraganeum in favorem tertii suam re-
 signasse præbendam: Competitores
 vero erant Joannes Andreas a Sier-
 storf, & Henrichus Augustinus de
 Mörs: Convenerant Electores inter se,
 ut